



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Clericus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

CHARITAS.

SUMMARIUM.

- 1 An qui injuriam sit passus ab aliquo pro qua querelam exposuit in iudicio, possit interim pendente causa confiteri peccata sua, & cōmunicare, non tamen cessando ab agitatione iudicii.
- 2 An iudex Ecclesiasticus possit expellere ab Ecclesia nolentem remittere injurias, & desistere ab agitatione causa.
- 3 An haeres occisi, faciens remissionem occidenti, propter hoc censeatur adire hereditatem si eam renuntiavit, vel de pecunia quam acceperat propter dictam remissionem, teneatur solvere debita defuncti occisi, vel creditores habeant aliud quod ius in illa.

AD primum. Respondetur, quod cum ex injuria accepta sive illata tria oriantur. Primum, id est, rancor in corde, statim quis remittere tenetur, & sic intelliguntur multi S. Scripturae loci, & praesertim illud *Matt. c. 18. Nisi remiseritis de cordibus vestris, &c.* Sed actionem injuriarum non tenetur remittere, text. in *c. si quis contristatus, & ibi gl. in ver. satisfaciente, 90. dist. Sylvest. in ver. Charitas, n. 4. §. 6. Altenf. lib. 2. tit. 62. art. 2. D. Thom. 2.2. q. 23. art. 8. in corpore, & q. 25. art. 8. & 9. Ang. in ver. injuria, §. 6. Abb. in c. 1. n. 7. de injuriis.*

Ad secundum. Sac. Congreg. Cardin. de hac re consultata, ita censuit declarat. 301. in meis. Non potest Iudex ecclesiasticus arcere aliquem ab Ecclesia,

eo quod nolit dimittere actionem injuriarum proximo suo: nam satisfacit hominis Christiani officio, si intimum odium, atque rancorem quis deponit, & ita servatur in praxi, & Navar. *confi. 3. de poen. & rem.*

Ad tertium. Respondetur negativè quoad omnia, Boer. *decif. 2. num. 1. Clarus q. 58. num. 33. Bart. in l. pro herede, §. si sepulchris, ff. de acq. hered. Brunus in eius repertorio, in ver. Pax. Nuncius. Tartalia in prag. de compositione, nu. 7.*

CAMBIUM.

Cambium Quid sit, quotuplex, quomodo, & quando liceat vel sapiat usuram; cum sit materia pactibilis, prolata, intricata, & suspecta, vide Navar. *c. 17. n. 183. à litera B. Sotum lib. 6. q. 8. art. 2. de just. & jure, Sylv. in verbo usura 4. vide Bull. Pii V. 144. quae incipit: in eam, & aliam Pii IV. 154. quae incipit: Cum sine.*

CLERICUS.

SUMMARIUM.

- 1 Quis dicatur Clericus.
- 2 Quo privilegio utatur circa personam.
- 3 Cognitio clericatus clerici ad quem iudicem spectet.
- 4 Pendente hac cognitione, ubi clericus debeat detineri carceratus.
- 5 Pendente hac cognitione clericatus, an supersedeatur in negotio principali.
- 6 An clericus factus post delictum, gaudeat privilegio fori.

7 An

- 7 An clericus effici possit contumax in Curia seculari.
- 8 An clericus possit eripi ministris secularibus ducentibus eum carceratum.
- 9 An clericus sit immunis à solutione gabeliarum.
- 10 An clericus malè expendens fructus beneficii, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem.
- 11 Pro quibus causis teneatur clericus solvere gabelas.
- 12 An clericus possit renuntiare privilegio clericali.
- 13 An dimisso habitu, si illum reassumat clericus, gaudeat privilegiis.
- 14 Quas vestes portare debeat, ad hoc ut dicatur in habitu, & tonsura.
- 15 An possit exponere aliquam mercaturam decentem.
- 16 Quando dicatur amittere privilegium clericale, & qua ad id requirantur.
- 17 An Clericus conjugatus possit retinere beneficia.
- 18 Comparens coram iudice laico, qua pœna puniatur.

AD primum. Ille est verè clericus, qui saltem habet primam tonsuram, tex. & gl. ibi in ver. Psalmista, in c. clericos, 21. d. & gloss. c. si quis suadente, in ver. in clericum, 17. q. 4. c. cum contingat, de atar. & qual. secundò omnes professi, tam mares, quàm fœminæ Religionis approbatæ, etiam conversi, & conversæ, c. cum illorum, de sent. exc. c. monachi. eo. c. de monial. eo. Tertio, novitii ingressi ad probationem Religionis approbatæ, c. religiosos, §. quamvis, de sent. excom. lib. 6. Quarto, eremitæ, pro-

ut in ver. Eremita. Quintò, clericorum appellatione in odiosis non veniunt Sacerdotes, Gimont. de grat. expect. f. 386. num. 53. nec dignitates, nec Canonici Cathedralium, nec Monachi, nec Religiosi, c. quia periculosum, de sen. exc. lib. 6. Sylv. in ver. clericus, 1. num. 1. Sextò, devotus, & perpetuò mancipatus alicui monasterio dicitur persona Eccl. & gaudet privilegio canonis, Nav. de reddit. q. 1. monitio. 54. num. 4. & omnis persona deputata alicui Eccl. perpetuò, sive seculari, sive regulari, saltem si deferat habitum aliqua ex parte religiosum, licet non emittat tria vota essentialia, censetur persona Eccl. & gaudet utroque privil. Host. Jo. And. Ant. & Pan. in c. privil. de privil. D. Ant. 3. p. tit. 11 cap. 2. Septimò, appellatione Clericorum in odiosis, & materia pœnali, non includuntur personæ ecclesiasticæ, Gemin. in c. sciunt cuncti, per illum tex. notab. 2. de elect. lib. 6. & in c. generali, notab. 4. ideo nec monachi. Octavò, sim. iliter appellatione personarum ecclesiasticarum in dicta materia pœnali, non veniunt clerici gloss. in d. c. in ver. Ecclesiastica, cum Conversi, Templarii, Hospitalarii, dicantur personæ ecclesiasticæ, & tamen non sunt clerici, quod nota pro hoc, quando ponuntur pœnæ contra clericos, vel contra personas ecclesiasticas solùm.

Ad secundum. Dico primò, præter ea quæ recenset Syl. in ver. cler. 1. num. 1. clericum circa personam habere privilegium, quia non potest percuti, nec in rebus adhærentibus suæ personæ lædi absque incurfione censuræ, ut patet in

M jutib;

jurib. allegatis, & Sylv. *in ver. excom.* 6. *per totum.* & Navar. c. 27. n. 76. & *infra.* Secundò circa forum, non potest capi à iudice sæculari, c. *ut fama, de sent. exc. c. si iudex, eo tit. lib. 6.* nec conveniri pro civili, vel criminali can. coram iudice sæculari, c. *unico, de cler. conjug. lib. 5. cap. si diligenti, de for. comp.* Fallit primò in clerico conjugato, quia licet non possit conveniri criminaliter coram iudice sæculari, tamen potest pro causa civili, licet propter eam non posset capi, nec carcerari, Covar. *pract. 99. c. 31. num. 7. ver. prima igitur, Navar. de Hor. can. c. 7. num. 15.* Nec obstat quòd ibi tex. *in cap. unico, de cler. conjug. lib. 6.* dicat, quòd nec conveniri possit criminaliter, aut civiliter, quia intelligitur. 1. etiamsi pro can. criminali civiliter agatur, prout in actione injuriarum, de qua vide Mar. *in 4. p. d. 1. per totum*: sed solum restant duo privilegia clerico conjugato, scilicet canonis, & fori criminalis, Selva 1. p. *quest. 7. n. 18.* & hoc si servat contenta *in dict. cap. unico,* secus si non, & Con. Trid. *sess. 23. cap. 6.* addit, ut addictus sit alicujus Ecclesiæ servitio ex Episcopi deputatione. Fallit secundò, si clericus in minoribus non servat contenta d. c. citato fac. Con. Trid. videlicet primò, aut habeat beneficium Ecclesiasticum. Secundò, aut deferens habitum clericalem, & tonsuram, inserviat alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi. Tertiò, aut versetur in seminario clericorum, sive in aliqua schola, sive Vniversitate de licentia Episcopi Gu. Pap. *q. 83.* si quis igitur clericus captus à iudice sæculari, non habeat unum ex his trib. requisitis, non

debet remitti ad iudicem ecclesiasticum, licet petatur instantissimè. Responso est, quia non gaudet privilegio fori, prout patet jurib. allegatis, & sic cessant ea, quæ dicit Covar. *pract. 99. c. 33.* per multa, & habent, locum ex magna parte ea, quæ dicit *in c. 31. & 32.* nec sufficit probare ipsum incessisse in habitu clericali, sed opus est vel probare titulum beneficii, vel aliorum requisitorum; Cap. *dec. 87. n. 9.* & Fol. *in pract. crim. 1. par. de excus. à num. 38.* & *infr.* licet non sit verum quod dicitur *in num. 47. in fi.* per hanc doct. Con. Cap. Tol. *q. 64.* ponit pulchrum casum cir. clericum conjugatum, qui postquam uxor sua luxuriata fuerit publicè, iterum cognoscit eam, dicit quod gaudet privilegio.

Ex hac doct. Concilii oriuntur multa dubia, & primum an qui habet pensionem alicujus beneficii Ecclesiastici, & sit tantummodo in minoribus ordinibus constitutus, gaudeat hoc privilegio? & videtur quòd nõ, quia appellatione pensionis non venit beneficium Ecclesiasticum, Sel. 1. p. *q. 3. n. 11.* & Fel. *in c. ad audiendam, il 2. de rescript. Gem. in c. quamvis, il 1. de prob. lib. 6.* Gom. *in q. 21. de an. poss. & q. 16. de infr. resig. Cap. decis. 200. n. 3.* Alii dicunt, quòd æquiparatur beneficio, ut refert Gom. *in d. questio, 21. in contrarium;* sed omissis aliis, dicerem concurrentibus aliquibus ordinibus minoribus vel primæ tonsuræ, & pensione, clericum gaudere privilegio fori & consequenter fore remittendum, probatur, Primò, quia adest opinio multorum Doctorum. Gomel. *loc. citat.* Secundò, quia pensio est pars substantialis beneficii.

Tertiò

Tertio, quod idem juris est de parte, quod de toto, *c. majoribus, de prab. & pensio* interdum capitur loco beneficii, & habet vim eandem, Rebuff. *tit. de dispens. super defect. etat. n. 82.* Quarto, quia pensioni competit diffinitio beneficii: nā dicitur beneficium, quasi benefaciens; sed illa etymologia militat in pensione ergo, &c. Quinto, quia hodiē per Bullam Pii V. relata a Navar. *c. 25. n. 122.* dicitur, ut quicumque pensionem ut clericus percipit, cum ad dicendum officium parvum beatæ Virginis decernimus obligatum, facit similitudo, quia facit Navar. *cap. 17. n. 32.* Sexto, quia sumus in materia favorabili, & sic audivi fuisse decisum Neapoli, in Mag. Curia Vic. in Clerico pensionario, & factam fuisse remissionem ad Curiam Archiepiscopalem, anno 1588. in personam Mag. Scipionis Scalione.

Secundum dubium, an laicus habens præbendam, sive portionem, gaudeat hoc privilegio: nam laicus potest habere præbendam, seu pensionem, *c. cum M. Ferrarienses, de consti. & ibi gloss. in ver. receperunt.* Selva *loc. cit. n. 4.* Gom. *de except. n. 42.* & Selva *3. p. q. 5. n. 27. Casu 17.* tunc dico, quod non. Ratio, quia non est clericus, & Concilium requirit utrūque.

Ad Tertium, capitur clericus noctu, vel die à iudice sæculari, dubitatur de ejus clericatu, petitur penes quem iudicem cognitio clericatus debet fieri? Respondetur. Primo, quod in terris status ecclesiastici pertinet ad iudicem ecclesiasticum, *cap. si iudex, de sent. excom. lib. 6.* Secundo, quod ubi proceditur de jure communi similiter, Covar. *pract.*

qq. c. 33. numero. 1. & hanc dicit esse communem opinionem Doctorum, *in d. cap. si iudex, & in cap. unico, de cler. conjug. lib. 6.* & sic dicit praticari in Hispania, sed apud Gallos ad iudicem sæcularem, Guid. Pap. *q. 138.* & Joab. Gal. *q. 78.* Tertio, de jure regni Neapol. ista cognitio pertinet ad iudicem sæcularem, & malè, quia cognitio ista ut est communis Doctorum sententia, ad Ecclesiasticum, non item ad sæcularem iudicem spectat. Follet. *in addit. ad Marant. 4. par. distinct. 2. numero 70.* & in fragmentis suis, numero 5. & in *pract. crim. 1. par. de excusat. à numero 88.* & infra, ubi plus dicit, quod non auditur super declinatoria fori, nisi personaliter comparuerit cum instrumento clericatus, quo præsentato, datur terminus ad probandum clericatum, quo probato fit remissio, aliàs reputaretur contumax, & adest ritus Magnæ Cur. idem Boss. *de for. com. n. 156.* Vinc. de Franc. *decis. 189. n. 6.* & 10. hoc tamen fallit, Primo, quando quis notoriè esset clericus, Follet. *loc. cit.* quia tunc statim debet remitti, Bald. *in l. si qualper calumniam, col. 2. in fin. ver. quero, C. de Epis. & cler. Abb. & Felin. in c. cum non ab homine de judic.* etsi esset notorium ipsi iudici sæculari illum esse clericum, cum requisitis à sacr. Con. Trid. ut quia scit illum habere beneficium, vel viderit eum servire alicui Ecclesiæ, vel in seminario versari, vel fama publica indicat talem esse, & non vult eum remittere, vel quia vult lucrari acta, vel decrera, vel quia vult nimium favere jurisdictioni regis nimium fiscalizando ad excusationes excusandas in

peccatis, Boss. loco citato numero 151. & infra, quia quamprimum clericus ostendat iudici laico literas Clericatus, tenetur eum remittere statim, Boer. decisio. 103. n. duodecimo; quia secus non evaderet sententiã excommunicationis, capit. nuper, in primo responso, de sentent. excommunicationis libro sexto, Sylvest. in verb. excommunicatio. sexto, numero tertio; versiculo secundo, numero decimoquarto, usque ad finem capitul. si verò, il primo, de sentent. excommunicat. Abb. in cap. cum non ab homine, de iudic. Ratio est, quia illa captura non fit ad bonum finem, nec pro bono publico, nec suadente Deo, & ut servetur iurisdictio regia, sed ut extorqueatur pecunia, vide Navar. cap. vigesimo septimo, numero 83. notab. decimo septimo, & sic servatur in practica ubique per regnum. Quid si iste clericus perdidit Bullas? Respondetur, Primò, hoc posse probari prout dixi in ver. Bulla.

Secundò, quòd sufficeret sola possessio habitus, & clericalis tonsuræ, vel sola possessio beneficii. Ratio est, quia beneficiatus præsupponitur clericus, & si opponatur, tenetur ipse clericus probare, vel pars adversa; Boer. decisio. 171. n. 13. 16. 17. & 18. & clericatus potest probari per unicum testem, idem decisio. 127. & Vinc. de Anna, singulari 408. Sed quid si clericus non petat remitti ad iudicem suum competentem? respondeatur, quòd iudex ecclesiasticus debet eum petere, & remitti debet etiã eo invito, si civiliter ageretur contra eum, Innoc. in cap. ut forma, num. 1. & 2. de sent. excõ. etiã si ante capturam clericus se gerebat

ut laicus notoriè, etiã manifestò, & si fecerit fidem de clericatu: nam tunc etiã deberet remitti, & ita fuit practicum, Cap. Tolos. q. 139. anno 1393. die 11. Octobris.

Ad Quartum. Ubi carceratus manere debeat queritur, dum pendet ista cognitio? Respondetur, quòd ex superioribus patet responsio: nam si iudex secularis prævenit in captura, non fit remissio causæ, nisi probato Clericatu cum requisitis à sac. Concil. Trident. & interim detinetur in carceribus suis, Foller. loc. citato, & hoc si loquimur de iure regni; si verò de iure communi, & cognitio pertinet ad ecclesiasticum, clericus interim detinetur in carceribus laicalibus, & non fit remissio ad ecclesiasticum, donec causa Clericatus per iudicem ecclesiasticum, per sententiam, quæ transierit inter iudicatas, fuerit finita, Covar. pract. qq. cap. 33. num. 3. ver. fortassis, ita notabiliter Innoc. in cap. ut fama, numero 1. & 2. de sent. excõ. Si verò ecclesiasticus prævenit in captura, vel clericus sponte in carceres ecclesiastici se obtulit, tunc pendente cognitione causæ in Curia ecclesiastica, interim clericus detinebitur in carceribus ecclesiasticis, alioquin si relaxabitur fidejussoria cautione, vel locis laxioribus deambulaverit, secularis curia eum potest capere, Covar. ubi supra, num. 4. & si non probabitur clericatus cum requisitis à sac. Conc. non fiet remissio, Covar. loc. cit. & c. 31. num. 7. ver. 4. in fin. Prima ratio est Concilii, quòd non vult clericos gaudere hoc privilegio, nisi cum illis requisitis; Secunda, ne videantur iudices ecclesi-

ecclesiastici potius meros laicos scelestifimos homines, in grave Reipublicæ dispendium, & divinæ atque humanæ justitiæ læsionem, eximere à iudicibus sæcularibus, quàm jurisdictionem ecclesiasticam tueri, Covar. *loc. cit.* Tertio, ne videatur ordo ecclesiasticus nil aliud esse, quàm libera delinquendi licentia. Fallit in clericis, qui in profundum malorum devenerint, & sunt omninò incorrigibiles, nec in hoc necessaria est trina monitio, & potest sine degradatione per iudicem sæcularem puniri, Boer. *decis. 69. n. 17.* & hoc si est in minoribus, secus verò si in factis: tunc enim requiritur degradatio, Covar. *loc. cit. num. 2. ver. 3.* sed de hoc vide *in ver. Assassinus.*

Ad Quintum, An pendente causa clericatus, vel apud iudicem sæcularem petente iudice ecclesiastico, vel è contra, supersederi debeat in causa criminali, de qua inquisitus est clericus? responderetur affirmative. Covar. *cap. 37. num. 3. & 4.* & text. & gloss. *in cap. si iudex, in fin. de sentent. excom. lib. 6.* & Innoc. *in d. cap. ut fama. num. 1.*

Ad Sextum, an sufficiat habere requisita à sac. Conc. post delictum patratum, & videretur quòd posset puniri, non obstante susceptione ordinum, & aliorum. Ratio prima est, quia videtur præsumi hoc factum fuisse in fraudem, ad evitandum iudicium sæculare. Secunda ratio est, quia res transit cum onere suo. Et circa hoc dico primò, si quis sit Clericus, & habet requisita prout sup. sine ulla fraude, quòd tunc omninò liberabitur à jurisdictione iudicis sæcularis, Covarr.

cap. 62. num. 14. cons. 1. quod probat legibus & Doctoribus. Secundò, si hoc facit fraude, vel dolo, prout sup. non liberabitur, idem *ibidem, cons. 2.* Tertio, ad videndum, utrum hoc faciat fraude, vel bono zelo, confugiendum est ad cōjecturas, ut verbi gratia, si quis post delictum commissum, & ante susceptum ordinem, fuerit accusatus, vel denunciatus, vel infamatus, Bald. *in l. 1. num. 2. C. an servus ex suo facto, ca. proposuisti, & de foro comp. & in Marg. Inn. in ver. laicus, quomodo, 2.* Joan. Andr. *in c. 1. de oblig. ad ratiocinia.* Covar. *ibidem, ver. fraus verò, Vin. de Fran. decis. 209.*

Quartò, ubi verò fraus erit, tunc distinguendum est, aut crimen leve, & tunc à iudice sæculari potest puniri multa bonorum, & rerum; si atrox, quod mereatur pœnam ultimi supplicii, factâ degradatione per Episcopum, condemnatur, idem *ibidem concl. 3.* quod dixi de requisitis à sac. Conc. idem dicendum est de professione facta in aliqua Religione approbata, Covarr. *ibidem, in fine.* Vin. de Fran. *dec. 209.* sed ad hoc providit Sixtus Papa V. in sua Bulla, in qua sancivit, ne huiusmodi scelesti homines ad Religionem assumantur, nisi factâ diligenti inquisitione, *in c. provinciali, de vita, moribus, & natalibus,* vide Conc. Constantinop. VI. *actio 16. Can. 43.* vide etiam pro hac materia Boss. *in tit. de foro compet. num. 144.* & *in tit. de pœn. n. 28.* ubi ponit casum in facto. Ratio est, quia clericus per susceptionem habitus Religionis, vel sacri ordinis, mutat forum, *cap. non dubium, de sent. excom.* Navar. *in ca. non dicatis, num. 3. in fine, 12. q. 1.*

ubi loquitur de causis factis ante, vel post monachatum, vel ordinationem ecclesiasticam. Circa hoc dicitur locorum Ordinarii, quomodo nos facere debemus remissionem Clericorum carceratorum in nostris carceribus secularibus iudicibus, petentibus dictam remissionem iuxta scriem sac. Conc. nam si ipsi postea habitâ remissione delinquentis ipsum condemnabunt ad mortem, vel ad mutilationem, nos erimus irregulares, per jura vulgata, *in c. de homic. lib. 6. & Clem. unica, eod. tit. Navar. cap. 27. nu. 290.* ad hoc responderetur, quod si Clericus meretur pœnam mortis, præviâ degradatione, potest fieri traditio ipsius sic degradati, prout *in ca. novimus, de verb. sig. gl. in c. ad abolendam, de heret. Sylv. in ver. degradatio, num. 4. Royal. in sing. 175. Siman. de Cathol. instit. tit. 46. num. 69.* prout faciunt frequenter Inquisitor. *Peng. com. 30. super 2. p. Direct. Inquisit. Locatus in judiciali inquisitorum, in fine, Sima. loc. cit. tit. 34. num. 47.* idem in obtruncatione membrorum observari debet cum protestatione, prout *Sylv. in loc. cit.* Sed extra hos duos casus potest fieri remissio, etiamsi Clericus ille pro certo condemnaretur ad tritemes, & hoc patet ex dictis superius, & quia Concilium sic vult, & satis nobis est, si observamus jura; & sic non essent tot clerici malæ vitæ, in maximam utriusque fori contumeliam, ut ait *Boll. in tit. de plur. viol. n. 88.* si quis plura circa hoc voluerit videre, videat *Staph. Auffet. in Clem. 1. de off. c. ord. & Nigrum Campa. in Clem. de vitu, & honest. cler. & Boll. in tit. de foro compet.* quia intentio mea est solum tangere casus magis practicabiles.

Ad Septimum, processatur clericus in Curia seculari, citatur, fit contumax, quia non venit ad ostendendum Bullas Clericatus, ob quam condemnatur ad pœnam contumaciæ, postea comparet, ostendit Bullas Clericatus, remittitur ad suum Ordinarium, petitur, an iudex laicus possit exigere illam pœnam, & clericus ad id teneatur, possitque astringi? Respondetur negativè, *Guid. Pap. que. 450. num. 1. Foller. in pract. crim. fol. 46. num. 39.* imò, nec tenetur comparere coram iudice laico, si citetur, *gloss. in cap. nullus Episcopus, xi. questio. 1.* & tunc tenetur ostendere Bullas, quando caperetur à iudice laico, & detineretur in suis carceribus, quia deberet confugere ad iudicem suum competentem, *capit. si diligenti; de foro compet.* pulchrum casum de clerico conjugato ponit *Caputaqu. Tolos. questio. 144.*

Ad octavum. Ducitur clericus per officiales laicos, utrum posset ab eis impunè auferri, modo constet eum esse clericum? Respondetur quod sic; *Guid. Pap. q. 73. n. 2. Vinc. de Franc. decis. 199. n. 10.* Ratio est, quia licet per se sine intervallo de possessione expellere violentum, *l. cum fundum, ff. de vi & vi. arm. Dyn. in ch. potest quis, n. 4. de reg. jur. lib. 6.*

Ad nonum. Prima conclusio est, clericos esse immunes à solutione gabellarum, seu vectigalium, patet, *cap. quantum, de cens. lib. 6. cap. ei. & cap. 3. de immuni. Eccles. lib. 6. Clem. unica, eodem tit. cap. adversus, de immuni. Eccl. extra, Boll. tract. de princ. & privileg. n. 174.* & qui eas exigere compelleret, vel solvi, esset excommunicatus, per jura prædicta, *Nav.*

c. 27. n. 128. Cajet. in sum. versio. excommunicatione, capit. 39.

Secunda conclusio; exigitur à clericis vectigalia sive gabellas, quæ à laicis licite exigi possunt, non incurrit in pœnam Bullæ Cœnæ Domini, sed solum excommunicationem, *ca. quanquam*, quæ est Episcopalis, facta restitutione, quia ille loquitur de prohibitis exigendis, ut sunt ea, quæ ad usum proprium portantur. Tertia conclusio, si quis exigeret à Clericis pro eis, quæ ad usum proprium & necessarium vehunt, cum hæc neque à laicis de jure communi exigi possint, (licet secus possit introduci de consuetudine quoad laicos) esset excommunicatus excommunicatione Cœnæ Domini, Navar. capitul. 27. n. 61. Flor. Theol. in 4. sent. tract. de vectigal. fol. 193. & text. in d. Bulla, clausula 18. Sylvest. in ver. excommunicatio, 9. num. 46. excommunicat. 21. Quarta conclusio, imponere gabellas, pedagia, vel similia personis Ecclesiasticis, vel eorum & Ecclesiarum bonis, vel beneficiorum fructibus, aut introitibus, est excommunicatio Cœnæ Domini, etiam à sponte dantibus, Bulla citat. Navarr. c. 27. num. 282. & ubi supra, dixi ea, quæ quis ad suam seu suæ familiæ necessitatem secum portat, quia pro his nec laici tenentur aliquid solvere de jure communi, Nav. cap. 27. num. 202. Sylv. in ver. Gabella, num. 14. §. 20. Cajet. in sum. in ver. vectigal. §. 4. Armil. in ver. Gabella, nu. 20. Angel. in ver. pedagium, §. 6. Sor. lib. 3. qu. 6. art. 5. de iustit. & jure. & fraudantes de his, non peccant, ut ait Sylvest. loc. citat. Asten. lib. 1. tit. 32. art. 4. q. 4. l. universi, C. de vectigal. Quinta

conclusio, hoc ampliatur. Primò, etiam ad res clericorum: nam si vellet vendere frumenta, oleum, vel quid simile, quod facit in terris sui beneficii, vel patrimonii, non tenetur solvere gabellas; idè dic de monasteriis. Cyn. in l. omnes, §. privilegia, C. de Epif. & cler. Sylv. loc. cit. in ver. 2. & 3. Afflict. in Constit. Apostatantes, num. 20. dicit quòd clerici clericaliter viventes, non tenetur contribuere cum laicis pro bonis Ecclesiasticis, & patrimonialibus, & adest Constitutio Regis Caroli II. quæ incipit, Volumus, & mandamus, & alia quæ incipit, Statuimus, num. 6. idem in Constit. Porrecta, & in Constitut. De burgenfaticis petitorio, notab. 3. num. secundo, ubi dicit clericum gaudere privilegio fori pro rebus patrimonialibus, idem Niger in dicta Constit. cap. 98. num. 1. & infra, ubi etiam tenet, quòd sunt immunes in rebus emptis, & donatis, quoad collectas variabiles, idem in Constit. Porrecta, num. 65. Secundò ampliatur, quòd nec tenetur solvere pro rebus, quas fecit Clericus mutata forma, ut verbi gratia, si emat fericum, & facit ex eo caligas, vel papyrum, & facit libros, vel aliquid hujusmodi, Abb. in cons. quod incipit, Casus super quo in 2. volum. Ratio est; quia hæc non est negotiatio, quia tunc est negotiatio, quando rem eandem non mutatâ formâ venderet, c. ejiciens, 88. distin. Abb. in cap. si. de vit. & honest. cleric. Navarr. c. 27. n. 128. nec hoc artificiosum est à jure prohibitum, c. clericus victum 91. dist. hoc fallit. Primò, in clerico negotiatore, quia solvere tenetur gabellas pro rebus, quas vendit, cum eis sit prohibita negotiatio,

negotio, & in hoc assimilatur vero laico, Doct. locis cit. c. negotiatore, cum sequentibus, 88. dist. Abb. loc. cit. Bald. in l. cunctos populos. de sum. Trin. & fid. Cath. Maran. 4. par. dist. 9. num. 118. Navarr. c. 17. num. 201. notab. 74. d. c. quamquam, & ibi gloss. in ver. si. negociandi, c. si. de vit. & benefi. & cleric. Fallit secundò, in clericis non incedentibus in habitu, & tonsura, quia debent solvere gabellas, & Goid. Pap. decis. 13. in Clem. 1. in ver. rebus, de vita & honest. cler. c. si. & ibi gl. in ver. fructibus, eod. tit. Covar. quest. c. 31. per tres conclusiones in ult. Fallit tertio, quando in gabella, seu vectigali daretur facultas à Papa quòd possit exigi etiam à clericis, Navar. loc. cit. ut est Neapoli in gabella, quæ dicitur vulgò, *lo male dinato*. Fallit quartò, pro necessitate Reipublicæ relevanda auctoritate Papæ, cap. adversus, de immunit. Eccl. Fallit quintò, in colonis laicis colentibus prædia Ecclesiæ ad medium, vel tenentia eadem ad officium, quia tenentur solvere gabellas, & collectas impositas per iudices sæculares de parte fructuum contingente illos colonos, Sylvest. loc. cit. n. 48. vers. 6. Navar. c. 27. num. 128. not. 6. sed hoc habet locum. Primò, quando privilegium esset datum personæ, & non rebus, quia tunc nec pro rebus coloni tenerentur, Boss. loco citato, Boer. decis. 213. num. ult. Secundò, quando non esset afflictor, seu conductor Cardinalis, quia gaudere debet eadem immunitate, qua Cardinalis, licet hoc in decimis, Vinc. de Franch. decis. 107. num. 2. & 8. Iser. in cap. quæ sunt regalia, §. & plausivorum, & Navar. num. 56. Fallit sextò,

in clerico conjugato, qui tenetur solvere datia, seu collectas impositas, Abb. in c. ex par. de cler. conjug. & in c. ex literis, n. 8. de vit. & honest. cler. Bald. in marg. Innoc. in ver. Clerici conjugati, vide pro hac materia etiam Vinc. de Anna alleg. 13. vide etiam Capit. summi Pontificis Honorii incipiens, Item quòd clerici, &c. Vide Abb. in c. literis, num. 12. de vita & honest. cler. & Dyn. in c. nemo, num. 4. de reg. jur. lib. 6. & gloss. in c. cum audissent, de rest. spol.

Ad decimum. Omittis multis, quæ hic coacervari possent, hic sunt tres opiniones. Prima est Navar. c. 17. num. 34. & cap. 23. num. 74. notab. 27. afferentis, clericum male expendentem fructus beneficii pensionis distributionum, aliorumque reddituum ecclesiasticorum, & peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem; & hanc opinionem tuetur acerrimè in sua Apologia, q. 1. 2. & 3. Secunda opinio est Soti, l. 10. q. 4. art. 3. conclus. 3. de iust. & iure, ubi fructuum ex possessionibus beneficiorum provenientium, ait clericos esse verè dominos, & sic non peccate, & non teneri ad restitutionem. Tertia opinio est D. Thom. 2. 2. q. 18. artic. 7. in corpore, Sylvest. in ver. Clericus 4. num. 15. §. 21. Astens. lib. 3. tit. 27. quest. 2. Angel. in ver. clericus, 13. a. n. 1. isti dicunt quòd solum peccat mortaliter, sed non tenetur ad restitut. Hanc tertiam opinionem amplectari sunt multi Doct. Gimon. de grat. expect. c. 1. nu. 25. qui dicit clericum esse usufructuarium in vita, & usufructuarium in morte. Idem gloss. in c. si. ver. obitus, de pec. cler. Gom. q. 1. in fine de trien. possess. Covar. in c. num. in officio,

officiis, de test. num. 4. Guid. Pap. *nu. 110.* iis sic statutis, conclusio sit cum tertia opinione, per prædicta: hoc tuentur multi recentiores, &c. Vide *Iser. in c. Corradi, à n. 27. & infra.* ubi disputat, an Papa, & alii Prælati sint domini, vel dispensatores Ecclesiarum. Vide *Nigr. in constit. Reg. in c. item statuimus, quod clerici. num. 4. & infr.* & omnino add. ad *Dyn. in c. locupletari, litera B. de reg. jur. licet remissivè.*

Ad undecimum. Vidi sæpè sæpius dubitari, & fui consultus pro quibus rebus clericus est immunis à solutione gabellarum sive pagamentorum fiscalium, & in hoc reperio *c. primum, de immunit. Eccles. lib. 6.* ubi poterit quis videre, ex quo *Sylvest. in ver. excommunicatio, 9. num. 13. ver. 2.* dicit clericum gaudere exemptione gabellarum in quatuor rebus. Primò, in ecclesiasticis. Secundò, patrimonialibus. Tertiò, relictis Ecclesiæ. Quartò, donatis ipsis clericis, idem *in ver. Eccl. 1. num. 6. §. 5. & in ver. gabella, 2. n. 8.* ista doctrina sic currit de jure communi, & ubi jure communi vivitur, per dict. c. & alios Doct. sed quia vidi in regno molestari clericos non pro rebus Ecclesiasticis, seu patrimonialibus, vel Ecclesiæ relictis, seu donatis, sed pro rebus emptis, seu donatis ipsis clericis, non asserentes, quòd pro istis clerici solvere debent gabellas seu solutiones fiscales, & sic dicunt observare Cameram Summaria regni Neapolitani, idèd discutiam hanc præctiam, & dicam. Primò, si loquitur de emptis, & donatis, posset justificari hoc, ut solvant id, quòd prius solvebatur super reb. ipsis donatis, vel em-

ptis; hoc suadetur primò, per dictum glossæ *de immun. Eccl. lib. 6. in ver. bonorum,* ubi ait, si tributarium prædium donaretur Ecclesiæ, quòd teneretur Ecclesiæ illud solvere, quòd prius pro ipso solvebatur: confirmatur hoc ex *Joan. Monacho, & Archidiacono ibi.* Ratio eorum est, quia concedens, seu donans non videtur cõdere, seu donare nisi jus quod habebat in re, prout *in l. qui tabern. ff. de contrah. empr. Bart. in l. rescriptio, §. fin. ff. de mun. & honor.* ubi dicit, quòd quando onus est radicatum in res, illa res non eximitur à præteritis oneribus, licet transferatur ad alium exemptum: idem *Maran. in disputat. 8. de jure protim. numero quadragesimo sexto, & gloss. in cap. primo, in ver. senioribus, extra de cens. Sylvest. in ver. gabella, numero octavo, vers. quinto, ubi dicit, quòd pro oneribus annexis, & perpetuis res donaræ clericis, vel Ecclesiæ, solvere tenentur quòd prius solvebant, quando erant penes laicos; idem confirmat *in ver. excommunicatio, 9. n. 13. ver. 2.* quod confirmat per *Clem. & ibi gl. in ver. solita, de cens. Afflic. in d. constitu. n. 16. in fine. in d. Novell. de jur. protim. §. 8. & 9. nu. 40.* idem tenet de bonis patrimonialib. per regulam, quia res transit cum opere suo; idem censet *Afflic. dec. 361. n. 8. de rebus acquisitis per Clericos.* Dico secundò, quòd si bene inspiciantur isti textus, gl. & Doct. loquantur de onere, quod erat affixum rebus feudalibus, secus verò de istis solutionibus quæ variantur in dies per collectas, ut aliquid hujusmodi, & ita *Sylvest. loc. cit. & Apostill. Jo. Andr. in gloss. fin. in ca. 1. de cens. quæ allegat c. solita, de major. & obediën.**

N

Dico

Dico tertio, quod cum illæ solutiones fiscales sint quodammodo onus perpetuum, & invariabile, quod res donatæ, vel emptæ transeant cum onere suo, quoad Clericos, *c. ex literis. de pignor. l. alienatio, ff. de contrab. empt.* dico invariabile, quia semel taxatum territorium semper sic stat. Dico quarto, quando verò isti exactores non contenti solutione solita determinata, & præfixa, vellent imponere novas collectas per descriptiones, æstimando bona alicujus clerici, si ve emptæ, si ve donatæ, ut solvat plus minusve secundum impositionem collectarum, quod tunc non tenerentur ad illud plus. Ratio est, quia non tenentur nisi ad onus illud invariabile, Abb. *in dict. cap. ex literis, n. 12.* ita Sylv. *loc. cit.* & Maran. dicentes bona clericorum esse exempta ab omnibus futuris angariis, & oneribus laicorum, non autem à præcæritis oneribus, Gram. *decis. 29. per totam, & n. 14.* Dico quinto, si res cum tali onere fiscalium solutionum emeretur ab Ecclesia, vel Ecclesiæ donaretur, quod esset libera ab hac exactioe. Ratio diverſitatis est, quia transit ad personam (si ita fas loqui) quæ nunquam moritur; *cap. 1. de alienat. feud. Afflict. decis. 324, n. 2.* & non ita facile transit ad personam laicam sicut res particularium clericorum, Abb. *in c. dilectus filius, n. 3. de præb. Felin. in ca. Ecclesia S. Marie, col. 28. vir. 50. quero, de const.* facit quod mutatione personæ mutatur privilegium. Guid. Pap. *q. 261.* & ibi addit. *decis. 69.* dicit quod bona registrata, etiam transeunt ad clericos, solvere tenentur, quod prius solvebatur. Vide omninò Bald. *in marg.*

Innoc. *in ver. Ecclesiam, q. 1.* ubi dicit res Ecclesiæ esse separandas à potestate laicorum, cum sint juris divini, & Innoc. *in capite non minus, de immun. Eccl. faciunt quæ dicit Vinc. de Franch. decis. 131. num. 25.* de feudo donato Ecclesiæ, & ab Ecclesia concessio postea laico, vide Abb. *in cap. ex literis, num. 12. de vit. & honest. cler.* Dico sexto, quod si esset res feudalitatis, quod etiam teneretur Ecclesia solvere Regi, Imperatori, seu Baroni onus illud, quod prius habebat, *sanctum, de cens. & ibi gloss. & Sylvest. in ver. gabella, 2. num. 10. §. 7.* faciunt quæ dicit Tiraquel. *de viro. retract. iii. 1. §. 32. gloss. unica, num. 80. & infra.* Dico septimò, hoc fallere in patrimonio donato clerico contemplatione ordinis facti, per dec. sac. Conc. Trid. *sess. 21. cap. 2. de reform.* Ratio est, quia cum detur illud patrimonium in titulum, censetur talis clericus in persona, & rebus gaudere privilegio exemptionis, Gloss. *in capitulo Episcopus, in ver. subsidium,* & gloss. *in capitulis, in ver. patrimonialibus, de præb. & Gom. in q. 23. de infir. resig.* ubi dicit, quod illud patrimonium datur loco tituli, & loco beneficii; ergo debet gaudere immunitate solutionis, Covar. *var. resol. lib. 1. c. 4. nu. 4.* Rebuff. *de foro compet. nu. ult.* & ita fuit expressè decretum per regiam Cameram Summ. Neapol. sub die decimatertia Julii 1590. ad instantiam Universitatis Terræmontis Herculis Benevent. dicentis, cum quibusdam circumstantiis, de quibus ibi. Dico octavo, hoc fallere in patrimonio, cui succedit jure hæreditario, non donationis: patet ex dictis superius, & ex concordatis per

Hono-

Honorium Pontif. cum Rege, c. 6. ut patet in Bulla, *in fine hujus operis*, vide Iser. *inc. quæ sunt regalia*, n. 61. Abb. *in d. cap. Episcopus*, num. 3. & 4. Conclude tamen cum Innoc. *in c. non minus*, n. 1. *de immun. Eccles.* ubi dicit, quæ usibus Ecclesiasticis dedicantur quoad fundationem, vel ornatum, vel mansum, vel dotem Ecclesiæ, sunt immunita, cætera transeunt cum onere suo: ita etiam patrimonium donatum ratione ordinis, cum limitatione sufficienti ad victum honestè habendum, prout supra Navar. *conf. 5. de immu. Eccl.* Vide omninò Jason, *in Auth. ingressi*, n. 16. 17. & 18. & *infra de sacros. Eccl.*

Ad duodecimum. Respondetur quòd potest habere duplicem sensum. Primum renunciare Clericatu, ut conveniri possit coram iudice laico, & remanere clericus, & hoc non potest esse, per *c. si diligenti, de for. com.* Covar. *præf. 99. c. 8. concl. 2.* imò nec renunciare privilegio, ut conveniri possit coram alio Episcopo, sine licentia proprii ordinarii, *c. significasti, eod. tit.* Covar. *eod. c. 10. vers. 8.* Secundum si potest expressè renunciare privilegio fori, & Canonis coram iudice ecclesiastico, dicens, Ex nunc in antea nolo amplius esse clericus, & videtur quòd non gl. *in c. Joan. in ver. non potest, de cler. conjug.* quia exemptio clericorum est de jure divino, quod nec per Papam potest tolli, Gom. *in cap. 1. num. 67. de Constit. lib. 6. cap. si Imperator*, & ibi gl. *in ver. & discuti*, 96. *distinct.* Covar. *præf. q. ca. fin. 31. num. 1.* licet ibi dicat aliquid in oppositum. Ex alia parte videtur quòd sic, quia quisque potest renunciare privilegio suo, nisi per hoc præjudicet juri ter-

tii, vel Reipublicæ, ut *in ca. statutum*, §. *in nullo, de rescript. lib. 6.* Gom. *in c. 1. nu. 57.* & *infra, de rescript. lib. 6.* Abb. *in cap. ad Apostolicam*, num. 6. & 10. *de regular.* Prima conclusio; de facto clericus potest renunciare privilegio tam fori, quam Canonis, & hoc dimittens habitum clericalem, & laicaliter vivens, *c. cum non ab homine, c. perpendimus, de sent. excom. c. inaudientia, c. contingit, i. 2. eod.* Sylvest. *in ver. excomm. 6. à num. 7.* & *infra*, etiam sine trina monitione. Navar. *cap. 27. num. 81. notab. 6.* & cum se turpibus, & enormibus misceat; nam tunc requiritur trina monitio, vel una pro trina, cum retinet habitum, & miscet se militari- bus, vel sæcularibus actibus, Navar. *loc. cit. num. 80. not. 5.* & tunc incedens, vivens, & induens se ut laicus, facto & scripto renuntiat suo privilegio. Secunda conclusio, expressè privilegio clericali renunciare coram iudice laico per actum publicum potest clericus; hoc patet, Primò ex superioribus. Secundò, quia si facto hoc potest, quare non verbis? *argu. c. dilecto il secundo, de appellat.* ubi admittitur appellatio solo facto. Tertio, quia sic vidi observari in facto in Curia Archiepisc. Neap. Ad objecta posset responderi, quòd vellet esse clericus, & renunciare. Quarto, id expressè tenet Jason *in l. si quis in conscribendo*, n. 1. & 2. *de pact.*

Ad decimumtertium, videtur quòd non, Regula philosophi *in Postpradicationis*, *in capite de Oppositis*, & *in 2. de generat.* & *corrup.* quod ex privatione ad habitum non fit regressio, gl. *Instit. de capitis diminui. §. quòd autem.* Respondetur nihilominus oppositum esse verius,

nempe, quòd reassumptis iterum vestibus clericalibus. & tonsura, reintegratur ad privilegium clericale, gl. in *Clem. 1. in ver. quando, de vit. & honest. cleric.* gloss. fin. in capit. fin. eodem titul. extra, & ibi Abbas, num. 8. Sylvest. in ver. excom. 6. num. 4. vers. si autem talis. Non obstat auctoritas Philosophi, quia intelligitur in naturalibus, non in moralibus, de quibus non tractamus, nec in supernaturalibus, ut patet in universali resurrectione mortuorum, ut habetur ex D. Thom. ut additio. 3. p. 9. 75. art. 3. & Sor. 4. senten. 43. quest. 1. art. 3. accedit ratio, quia si clericus existat in minoribus ordinibus, & postea contrahat matrimonium cum unica & virgine, & mortua uxore postea reassumit habitum, ad ulteriores gradus sacrorum ordinum ascendere potest absque eo quòd iterum accipiat minores ordines, quòd prius habebat ratione characteris, quia est indelebilis gl. in cap. Joannes, in ver. non potest, de cler. conjug. & ibi Abbas, num. secundo, sed Afflict. in Const. Apostat. antes, n. 22. dicit, quòd si fuerit ter monitus ab Episcopo, ut incedat clericaliter, & ille non incedit, & postea pœnitentia ductus, incipit incedere clericaliter, quòd non gaudeat, & citat Innoc. in c. 1. de Apostat. & Iserniam, tamen oppositum est verius, quia licet, dum non vivit clericaliter, non gaudeat, tamen quando incipiet vivere, gaudebit, & in pract. vidi multos reliquisse habitum, & diu sic vixisse, & tamen postea reassumpto habitu gavisi sunt privilegio, facit c. tunc valere, de Consecr. dist. 4. nec Innoc. dicit, quòd non gaudeat, quando incipiet clericaliter vi-

vere, sed solum, dum vivit laicaliter post trinas monitiones.

Ad decimum quartum. Respondetur primò, clericos seculares non habere certum habitum, cum non sit expressum in iure de colore, vel de forma, tamen vestis debet esse talaris, cap. penult. 23. dist. gl. in Clem. fin. in vers. videtur, de vit. & honest. cler. Diaz. in pract. crim. can. c. nec coloris indecentis, nec habere ea, de quibus Diaz loc. cit. Syl. in ver. clericus, 2. num. 2. ver. 2. Angel. in ver. clericus, 4. §. 3. Syl. in ver. excommunicatio, 6. num. 4. cap. nullus, 21. quest. 4. Foller. Pract. crim. tit. de excusat. n. 42. & sic concludit, ut dicit Foller. quòd vestis debet esse secundum loci consuetudinem, & Ordinariorum, & Conciliorum provincialium, vel Diœcesanorum Constitutiones, Abb. in c. clerici, n. 18. de vit. & honest. cler. vide cap. per simoniam, 41. dist. Guid. Pap. q. 38. dicit, non licere habitum brevem per dimidium pedem, vel circa genua, & quòd in facto Clericus delinquens, inventus in tali habitu, non fuit remissus ad Ordinarium suum, vide Covar. pract. quest. c. 31. nu. 8. ver. 4. c. clerici officia, de vita & honest. cler. Concil. Trid. sess. 14. cap. 6. de reform. Bene verum est, quòd inter pares vestitus debet esse par, inter digniores talis æqualitas non servatur, Abb. in c. cum omnes, num. 9. de constit. & in Clem. cum Romani, numero 10. de elect. gloss. in summa, 21. quest. 4. & Navarr. in c. statumimus, 19. quest. 3. notab. 9. nu. 27. dicit debere Episcopum cogere clericos circa habitum, & Cœc. Eleberinum Can. 76. quod est in primo Tomo Conciliorum, & VI. Synodus Constantinopolitana, Can. 50.

Can. 50. in Tom. 2. ubi habetur, si clericus est, deponatur. & Con. Trident. sess. 22. § capit. 1. de reform. ubi circa tatti vestitus, quàm ludos committatur negotium arbitrio ordinarii, & hoc de clericis, vel constitutis in sac. vel habentibus beneficia ecclesiastica. Navar. cap. 25. num. 110.

Ad Decimum quintum. Respondetur, quòd clericus potest, licet non per se, sed per alium præsertim, exercere mercaturam, aliquid vilis emendo, & carius vendendo, in tribus casibus.

Primò, quando non habet aliunde, quo vivere possit. Secundò, ad sublevandam consanguineorum & parentum inopiam. Tertio, quando non esset prohibita à suo prælato, Tabien. *in ver. emptor, numero 19.* Joan. Medina *tract. de restit. q. 3. §. 20.* Navar. *c. 25. num. 110. notab. 34.* quòd comprobatur multis Doctoribus, Guid. Pap. licet remissivè, *q. 177.* & Con. Eliber. *c. 19.* ita auctorit. Conc. Sum. & Abb. *in c. clerici, n. 3. de vita & honest. cler. & in c. dilecti filii, n. 3. de decim. & Navar. de spol. num. 5. & in c. paternitas, 22. q. 1.*

Ad Decimum sextum. Ut clericus in genere perdat privilegium clericale, quinque requiruntur, quæ videas in Capyc. *deciso 161. numero secundo*, ubi videto etiam, quando clericus dicatur exercere sæva, seu enormia delicta, & quid sit frequentare delicta, & quid sit deprehendi in crimine, quæ omnia notanda sunt pro praxi quotidiana, vide etiam Butrium *in cap. 1. de apostat. Cæpollam consi. 11.* Foller. *in pract. crim. de excusat. numero 40. & 47.* & quando dicatur in-

corrigibilis, vide Diaz *in pract. crim. Can. capit. 131.* & Abb. *in capit. perpendimus, numero primo, 3. & 5. de sentent. excommunicat.*

Ad Decimum septimum. Vide Abb. *in capit. conjugatus, numero quinto, & sexto. de convers. conjug. & quæ dicam, in ver. ordo, §. ad minores, dub. 3. & cap. quod à te, de cler. conjugat.*

Ad Decimum octavum. Vide præter alios Grammatic. *deciso. 29. numero septimo*, & Doctor. *in capit. si diligenti, de foro competen.* hoc intellige extra casum Constitutionis regni, quæ incipit: Finis præcepti charitas, & alia: Ad Regale fastigium. vide Caputaquens. *deciso. 149. parte secunda*, ubi habes, quòd pœna extraordinaria & arbitraria fallit, si facit se trahere de consensu suo, vel favore, & maxime super causa decimarum, vel spiritualium, quia tunc insideret in Bullam Cænæ Domini Navar. *consilio primo, numero octuagesimo primo, de constitut. lectus verò si invitus.*

CONFINIA.

PRimò. Confinia an probent dominium? vide *in ver. dominium.*

Secundò, quomodo probentur, vide *in ver. testes, num. 32.*

Tertio, quid si mutentur, animo furandi, vel non dicto animo, & quomodo in utroque casu castigentur, qui mutant, vide Novel. *de iure protim. §. secundus, num. 102. & infra, vide in ver. limites sive termini.*

Quartò, confinia, seu limites, an possint præscribi, vide Abb. *in cap. cum*

N 3

inter